

Q.  
An princi-  
pes hæreti-  
ci tollendi?

XXI. Huic principio scelestum illud decretum inniti-  
tur de principibus hæreticis solio deturbandis, clamvè ac pa-  
lam, ferro vel veneno à quolibet privato è medio tollendis,  
iisq; populis quos Pontifex Romanus perperam de religio-  
ne sentire iudicat nullà habitâ ullarum pactionum aut fæde-  
rum (hæreticonamq; non servandam fidem dicitant) ratione  
debellandis.

XXII. Sed quis ignorat Christi Servatoris dictum, Re-  
gnum ipsius non de hoc mundo esse, nec regna mundana tollere  
& evertere?

Secundò in  
rerum ad  
vitam ne-  
cessariarum  
acquisitio-  
ne.

Utrumq;  
persuadet  
habendam  
esse rationē  
subditorum

qui vel  
Eminentio-  
ris condi-  
tionis, puta,

Tùm Eccle-  
siastici,

XXIII. Alterum quod ad bonum publicum spectat, est, ut  
cives & subditi sint locupletes, iisq; rebus, qua ad vitam com-  
modè degendam requiruntur instructi, ac pace & tranquilli-  
tate fruantur: cùm civitas non tantum vivendi, sed & com-  
modè vivendi gratiâ sit constituta.

XXIV. Ex iam dictis apparet, honestorum & uti-  
lium in Republica studiorum & exercitiorum rationem esse  
habendam maximam.

XXV. Hinc eminentioris conditionis subditi sint, qui  
vel ratione officiorum, qua administrant, vel suâ naturâ ta-  
les, ac uno nomine nobiles dicuntur, (quamvis nobilitatis  
vocabulum omnes dignitates, Magistratuumq; munera com-  
plectitur) ceteris præferendi sunt.

XXVI. Qui officij ratione alios antecellunt, sunt vel Ec-  
clesiastici, vel seculares.

XXVII. Hinc Politicus Ecclesiasticis primum tribuit  
locum: cùm rerum divinarum præstantia id requirat.

XXVIII. Ac religionis in quavis Republica studium vi-  
guisse, extra omnem est controversiam: cùm, secundum Ora-  
torem, nulla gens tam fera, tam barbara extiterit, quam  
non aliqua de DEO imbuerit opinio.

XXIX.